



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

XL. Vt dum episcopus eligitur, si contradictores habeat, quinque
sacerdotes conueniant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

Sed illud est statuendum, ut quando ad eligendum episcopum conuenerimus, si qua contradictio fuerit oborta (quia talia tractata sunt apud nos) non præsument ad purgandum eum, qui ordinandus est, tres iam, sed postulentur ad numerum supradictorum vnus vel duo, & in eadem plebe, cui ordinandus est, discutiantur primo personæ contradicentium: postremo illa etiam quæ obijciuntur, pertractentur. Et cum purgatus fuerit, sub conspectu publico, ita demum ordinetur. Si hoc cum vestræ sanctitatis animo concordat, roboretur vestræ dignitatis responsione. Ab vniuersis episcopis dictum est: Placet fatis.

Afr. ca. 17.
Dist. 25.
Illud statuendum est.

* cōmō-
nitorio
nostro
omnia
tractata.

Honoratus & Vrbanus episcopi dixerunt: Quoniam de * Concilio quædam tractata noscuntur, adiicimus etiam de die Paschæ nobis esse mandatum, ut de ecclesia semper Carthaginensi (sicut prædictum est) instruamur, & non sub angusto temporis spatio. Aurelius episcopus dixit: Si sanctitati vestræ videtur (quoniam nos spondidisse iam superius meminimus) ut singulis quibusque annis ad tractandum conueniamus, & cum conuenerimus in vnum, tunc diuulgabitur sanctus Paschæ dies per legatos, qui fuerunt in Concilio. Honoratus & Vrbanus episcopi dixerunt: Nunc de præsentī cœtu petimus, ut literis prouinciam nostram de hac die informare dignemini. Aurelius episcopus dixit: Ita fiat necesse est.

Afr. c. 18.

Præsentis
Concilii.
ca. 1.